



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 De potestate delegata ad Censuras.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

¹³
An consue-
tudo ferendi
vnam censu-
ram sufficiat
ad ferendas
omnes.

possit præscribi vel consuetudine acquiri in vna fe-
renda censura, & non in aliis: vel potius hoc ipso,
quod quis habet consuetudinem ferendi vnam cen-
surā, verbi gratia: excommunicationem, obtineat
etiam potestatem ferendi alias censuras. Sed, quia
hæc iuris peritorum sunt magis propria, idēd breui-
ter dicendum est, iuxta communem eorum senten-
tiam non sufficere consuetudinem vnius censurę
ferendę, vt circa omnes acquiratur potestas. Quod
fundari solet in capit. *Cum olim*, de Præscriptio-
nibus. Vbi quidem Abbas, qui præscriptione
probauerat vsū excommunicandi, & interdican-
di, in potestate ferendi has censuras defenditur; de
suspensione autem nihil ibi dicitur, sed generaliter
cetera Episcopalia munia, quę ibi specialiter non
numerantur, ei denegantur. Qui textus probabili-
ter suadet, non tamen conuincit, nisi rationem ad-
iungamus. Ea verō esse videtur, quia nec potestas
hęc est omnino indiuisibilis, vt acquisita circa v-
num actum, necessario debeat acquiri circa alium
specie diuersum: nec inter ipsos actus est aliqua ne-
cessaria connexio, vt necesse sit, eum, qui vnum ef-
ficat, posse alios efficere: nec etiam ob similitudinem
acquisito iure circa vnum, acquiritur circa alios,
quia hoc non habet locum in præscriptionibus, &
consuetudinibus, vt est certa, & communis doctri-
na. Vide Vgolinum dicto paragrapho vigesimo pri-
mo, numero tertio & quarto. Atque hæc nobis suf-
ficient de modo habendi hanc potestatem iure or-
dinario.

Vgolin.

SECTIO III.

*Cui possit delegari potestas ferendi censuras,
& quomodo hæc delegatio fa-
cienda sit.*

¹
Potestas fe-
rendi cen-
suras est com-
municabilis.

ALIUS modus habendi hanc iurisdictionē est per
delegationem, seu commissionē superiorum
Quod etiam est certū, cum ex generali lege, & quali-
tate potestatis iurisdictionis, quę hoc modo cō-
municabilis est. vnde etiam in foro interno penitē-
tiā hoc modo committi potest, vt supra vidimus, tum
etiam ex vsu & traditione Ecclesię, & ex variis de-
cretis, quę habentur in titulo de Officio delegati à
principio, & videri potest Couarr. in cap. *Alma*
mater, p. 1. §. 11. Cum autem hic modus habendi hanc
potestatem, extraordinarius sit, id est, ex nulla cer-
ta lege, aut munere originem habens, sed solum ex
arbitrio & voluntate concedentis, idēd nō possumus
certas assignare personas, quibus hoc modo pote-
stas hæc conueniat, sed solum dicere possumus, o-
portere eum, qui talem iurisdictionem est habitus-
rus, esse capacem illius, & in alio esse potestatem de-
legandi, vel subdelegandi illam, & in vtroque esse
voluntatem, in altero dandi, & in altero acceptan-
di: quę sigillatim explicare oportet.

²
Alique con-
ditiones re-
quiruntur
ad hanc po-
testatem re-
cipiendam.

Primum igitur, scilicet, capacitate esse neces-
sariam, per se notum est, ad omnem potestatem ne-
cessarium. Vnde etiam priori modo non potest ef-
ficari hæc potestas, vt ordinaria in aliquo nisi supposita
eius capacitate: tamen, quia illo modo semper est
annexa hæc iurdictio alicui muneri, vel officio idēd
nihil in particulari diximus de prærequisitis ad
illam ex parte dantis, vel recipientis, sed tantum in
communi, eum esse capacem talis iurisdictionis, qui
fuerit capax eius muneris, ratione cuius confertur.
At verō in præsentī oportet in particulari designare
condiciones necessarias ex parte hominis, vt sit ca-
pax talis iurisdictionis, quamuis multę ex illis com-
munes sint etiam iurisdictionem ordinariam ha-
bentibus.

A Primo ergo necesse est, vt sit homo viator, quia
neque Angelus, neque homo beatus, aut extra viam
est capax Ecclesiasticę iurisdictionis: Nam Ecclesiā
militans, & visibilis, per ministros in ea militantes,
ac visibiles, gubernari debet. De qua re diximus ali-
qua, quę ad præsens accommodari possunt superio-
ri tomo, tractantes de ministro sacramenti. Est au-
tem aduertendum, aliud esse loqui de habente hanc
potestatem, aliud de effectu seu efficacia eius: nam
vt homo recipiat, vel retineat hanc potestatem, ne-
cessē est vt viuatur: verō, vt efficiat, fieri potest, vt
id non sit necessarium. Nam interdum causa conse-
quitur effectum, quando iam actu non est, vt in na-
turalibus constat, & in præsentī etiam est certum in
censuris, quę transgressione alicuius legis ipso iure
incurruntur: nam causa inferens illam censuram,
reuera est autor legis, etiam si mortuus sit, qui per
legem tanquam per virtutem à se relictam opera-
tur, vt infra latius explicabimus. An verō in censura
lata ab homine id etiam contingere possit, dicemus
commodius sequente disputatione.

³
Solum homo
viator hanc
potestatem
habere potest

B Deinde necessarium est, vt qui hanc iurisdictionē
nec recepturus, sit rationis compos, nam qui ra-
tione uti non potest, nec ferre potest iudicium, &
consequenter nec punire, neque aliquem alium a-
ctum iurisdictionis exercere. Vnde neque puer ante
vsū rationis, neque perpetuū amens, aut stolidus,
capax esse potest huius potestatis. Sed hic etiam di-
stinguere oportet inter vsū & potestatem ipsam:
nam quo ad vsū, manifestum est, eum, qui caret
vsu rationis, pro illo tempore, quo illo caret, non
posse exercere hanc potestatem, quia quidquid fa-
ciat, aut facere videatur, humanum non est: & ideo
homines ligare non potest. Ad quam rem multa
congerit Vgolinus tabul. prim. de Censuris capitulo
secundo, paragrapho tertio. Sed res per se est satis
clara. At verō quoad potestatem, non est dubium,
quin permanere in eo possit, etiam eo tempore, in
quo vsū rationis non habet, vt non solum in dor-
miente, sed etiam in furioso, aut ebrio manifestum
est. Vnde dubitari posset, an sicut hæc potestas
conseruari potest, ita etiam possit dari illi, qui non
potest ratione uti, nimirum, vt ea utatur, quando
rationis vsū habuerit. Nam qui non est incapax
ad retinendum, non videtur esse incapax ad reci-
piendum. Dicendum verō est, non posse id fieri,
quia, vt in principio dicebam, ad recipiendum hanc
potestatem, requiritur voluntas & consensus reci-
pientis, quem præbere non potest aliquis, quando
vsū rationis non habet: quia consensus dicitur
actum humanum, & rationale: & idēd nec infans,
nec perpetuū amens, nec denique furiosus, aut ebru-
us, eo tempore quo sic dispositus est, hanc potestatem
recipere potestatem. Quę omnia rectē confirmari
possunt ex l. *Cum prator*, vers. *Non autem*, ff. de iudi-
ciis.

⁴
Debet etiam
esset rationis
compos.

⁵
Non potest
hanc potestatem
recipi, vt
illam exer-
ceat cum ra-
tione utatur

Alia conditio requisita est, vt is, qui hanc potesta-
tē accepturus est, vir sit, & nō femina. Nam femina
incapax est iurisdictionis spiritualis ad clauas per-
tinentis, præsertim quę ad iudicium, vel sententiam
ferendam valeat, vt de interiori foro supra dictum
est; & de exteriori docent, D. Thom. in 4. dist. 15.
quęst. 2. articul. 1. & ibi Thomas de Argent. articul.
3. ad 2. cont. 2. conclus. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 7. §. 2.
& Nauarr. in Summ. cap. 27. num. 6. & Couarr. in ca.
Alma mater, p. 1. §. 11. num. 2. quod probari potest ex
c. *Mulierem*, cum aliis multis, quę referuntur 33. q. 5.
vbi dicitur, mulierem nec docere posse, nec indica-
re. Sed illi textus non multō probant, quia nec Pon-
tificia decreta sunt, sed sententię Augustini. Nec vi-
dentur agere de absoluta capacitate, seu de decen-
tia. Vnde etiā ibidē dicitur, mulierem non posse esse
testem, neque fidem dare. Melius probari potest ex
cap. *De monialibus*, de Sent. excomm. vbi dicitur,
Abba.

⁶
Vir, & non
femina est
illius capax.

⁷
D. Thom.
Argentin.
Anton.
Nauarr.
Couarr.

Secl. III. Cui possit delegari potestas ferendi Censuras. 15

Abbatissas non posse sibi subditas à censura, si quam contraxerint, absolvere: ergo multo minus poterunt ligare, si non possunt solvere. Probatur item forte ex cap. *Nova*, de Pœnit. & remiss. ubi sermo est de quibusdam actibus sacramentalibus, & de prædicatione Evangelij. Potest tamen sumi argumentum vel à simili, vel quia in fine Pontifex concludit, clauus regni non esse datas fœminis, etiam Beatæ Virgini. Et hæc est ratio à priori huius conclusionis. Cōgruentia verò est, quia sexus fœmineus non est per se proportionatus ad spiritualia munera obedienda. Unde nec docere, nec dominari in viros permittitur. i. ad Tim. 2. Unde, quantum in religionibus eis cōmittatur quædam potestas gubernandi, quæ moraliter necessaria est in religionibus Monialium, quia non poterat honestè, & decenter per viros id fieri; illa tamen potestas non extenditur ad proprios actus clauium, sed ad actus præcipiendi, corripiendi, & instruendi, quantum conueniens est ad paternum, & quasi domesticum regimen, vt omnes auctores citati notant, & latè Victoria relectione secunda, de Potestate Ecclesiæ, quæstione secunda, numero tertio, & Summis omnes, verbo, *Abbatissa*. Et confirmatur, nam fœmina est incapax ordinis, vt infra tractando de sacramento Ordinis ostendemus: potestas autem hæc ferendi censuras prærequirit ordines, vel saltem dispositionem ad illos, quæ fit per primam tonsuram, vt statim dicemus. Denique hoc consentaneum etiam est iuri ciuili in l. secunda, ff. de regul. iuris. ubi dicitur, fœminas remotas esse ab officiis publicis: & ideo iudices esse non posse, &c.

Contra hoc verò obijci potest c. *Dilecta*, de Maiorit. & obed. ubi dicitur, Abbatissam quandam solitam esse suspendere ab officio & beneficio canonicas suas, clericos suæ iurisdictioni subiectos, quantum excommunicationem in eos ferre non posset, & Pontifex jubet, vt illi obediat: unde suspensionem illam validam esse supponit: at suspensionem quandam censuram esse. Item in ca. *Dilectissimæ*, de Arbitris Pontifex approbat quod quædam nobiles fœminæ ex consuetudine habeant iurisdictionem ordinariam in subditos suos. Et in c. *Dilecta*, de Excessib. prælat. quædam Abbatissa vocatur caput, & patrona cuiusdam congregationis clericorum. Ad primum respondetur ex Abbate, & alijs, illam suspensionem non fuisse censuram, sed prohibitionem quandam, vel priuationem, quæ, latè loquendo, suspensio appellari potest: tantum ergo erat illud quoddam mandatum quod per mulierem interdum ferri potest. Unde (quod notandum est) Pontifex ibi non respondet seruati debere censuram ab Abbatissa latam, sed præceptum & mandatum eius: & cuidam Abbati iniungit, vt, si subditi illius Abbatissæ obedire noluerint, eos per censuras obedire compellat: indicans, suspensionem Abbatissæ non fuisse censuram, sed simplicem prohibitionem, seu mandatum. Unde ad alias partes, non negamus mulierem habere posse iurisdictionem, præsertim temporalem, de qua nonnulli decreta illa interpretantur: Sed non sufficienter, quia iurdictio in clericos, non est omnino temporalis. Et ideo Abbas ibi aduertit de iure speciali posse fœminam habere iurisdictionem in clericos. Non tamen inde fit, posse habere tantam iurisdictionem, vt etiam ad censuras ferendas extendatur. Aliqui autem nolunt illam vocare iurisdictionem, sed solum ius quoddam, & quasi dominium: vel potestatem, quæ ad ius constituendum, vel iudicium ferendum non sufficit. Sed hoc spectat ad modum loquendi, de qua re nonnulla etiam diximus supra, tractando de iurisdictione pœnitentiali.

Adde præterea, aliud esse loqui de potestate (vt sic dicam) absoluta Summi Pontificis, aliud de ordinaria lege Ecclesiastica. Nam priori modo fortassis. Suarez. tom. 5.

A se non repugnat Summum Pontificem concedere hanc potestatem alicui fœminæ. Quod tenet Paludanus in quarto, distinctione decima nona, quæstione secunda, articulo primo: & non dissentit Soto distinctione vigesima, quæstione prima, articulo quarto, versus finem. Nauarrus Consilio septuagesimo tertio, de Sententia Excommunicationis & Vgolinus dicto capite secundo, paragrapho septimo, numero quinto. Quoniam hoc non est contra ius diuinum, & ideo nihil est cur Pontifex ex absoluta potestate id facere non possit, sicut etiam potest hanc iurisdictionem laico conferre. At secundum communem legem, & vsum Ecclesiæ hoc nunquam fit: & ideo nec consuetudine introduci potest, neque ab Episcopis concedi; neque à Pontifice Summo aliquando factum esse legimus: quia non decet; & licet non sit simpliciter contra ius diuinum, aut naturæ, est tamen minus consentaneum illis.

Quarta & vltima conditio est, vt hæc potestas clerico committatur: nam solus ille secundum ordinarium vsum Ecclesiæ capax illius censetur. Omitto, debere etiam huiusmodi hominem baptizatum esse: tum quia hæc conditio ad præcedentem necessario supponitur, vt constat ex materia de baptismo, & de ordine: & sumitur ex c. 1. & 3. de Presbytero non baptiz. ministrante: tum etiam, quia hæc conditio generalis est ad omnia Ecclesiæ munia, eo quod baptizatus ianua fit Ecclesiæ. Unde multo magis necessarium est, ministrum censuræ ferendæ esse baptizatum, quam esse clericum: quia hoc posterius est necessarium ordinariè ex congruentia quadam; vt dicemus: illud verò prius est semper & absolute necessarium: nam, qui re ipsa nondum est membrum Ecclesiæ visibilis, non potest spirituales iurisdictionem in eam exercere: de quo plura inferius dicam.

Probat ergo posita conditio ex Symmacho Papa in cap. i. d. 69. ubi specialiter loquitur de censura excommunicationis: & ex cap. 2. de iudiciis, ubi generaliter dicitur non posse laicum Ecclesiastica tractare negotia, aut iudicia, maxime spiritualia. Idem sumi solet ex c. *Ecclesia*, de Conflit. Ex quibus decretis conclusionem hanc eliciunt communiter scribentes ibi. Verum hæc iura, si attente legantur, non loquuntur de re, in qua nunc versamur, quia non tractatur, quid iurisdictionis Pastores Ecclesiæ possint, aut debeant committere laicis, sed quid ipsi laici ex se, vel ex suis dominis habeant. Et hoc sensu dicitur, laicos nullam habere iurisdictionem in Ecclesia. De qua re loquuntur etiam decreta, quæ citantur in d. 96. Magis fauere possunt verba Gregorij libro 7. Epistolarum in 66. quæ referuntur in cap. Indicatum, 98. d. Cauendum est, ne secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiastica committantur, sed probatis de vestro officio clericis. Quæ generalis admonitio habetur ex multis decretis 16. quæst. 7. In particulari autem de commissione huius iurisdictionis nihil expressum inuenio. Sunt verò notanda verba, quæ ibi referuntur in cap. In noua, ex Conc. Hisp. 2. c. 9. Indet. rum est Vicarium Episcopis laicis esse: & seculares in Ecclesia iudicare. Et infra vocatur, contemptor canonum, Episcopus, qui Ecclesiasticam administrationem laico crediderit. Censetur etiam hæc communis sententia Theologorum, D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 1. articulo secundo, quæstionum. 1. Soto dist. 20. quæst. 1. artic. 3. & aliorum eisdem locis, qui tamen non loquuntur specialiter de iurisdictione ad ferendas censuras, sed de potestate clauium. De qua in sua proprietate sumpta alia est ratio; quoniam vsum eius potestatem ordinis includit, & ideo non solum non potest esse in laicis, sed neque in omnibus clericis, sed in solis Episcopis, & sacerdotibus, vt definit Concilium Tridentinum sess. 14. capit. 6. & can. 10.

B 2 Quare

testatem concedere fœminæ, de potestate absoluta non tamen ordinaria.

Non baptizatus non potest habere potestatem Ecclesiasticam.

Symmacho Papa.

Gregorij

Conc. Hisp.

D. Thom. Soto.

Conc. Tri.

Secl. IV. Censura vt valeat, quas condit. in ferente req. 17

suspensus sit, alter nullam inde accipiet iurisdictionem: quia per censuram erat principalis potestas in altero ita ligata, vt effectum suum consequi nō possit. Quibus autem modis illa potestas impediri possit, explicabimus section. sequent. in ipsamet potestate ferendi censuram, nam eadem est vtriusque ratio.

Et quoniam is, qui potestatem hanc habet tantū delegatam, eam habet quodammodo dependentem in conservari a delegante, quandiu per illam operari non cepit, ideo necesse est, vt principalis iurisdictione duret in concedente seu delegante: nam, si nondum causa inchoata ille moriatur, aut iurisdictionē amittat, in altero etiam iurisdictione cessabit, vt constat ex c. *Licet*, & c. *Gratum*, & c. *Relatum*, & c. vlt. de Offic. deleg. Quod est generaliter verum in hac iurisdictione fori contentiosi, nam in foro poenitentie aliud fortasse est, vt supra notavi. Intellego autē, necessarium esse, vt hac iurisdictione firmiter (vt ita dicam) adhæreat, & independentem a potestate concedentis, negotium esse inchoatum in eadem causa, vel in aliqua earum, quæ inter se connexionem habent. Nam, si hæc potestas generaliter concedatur ad plures causas inter se non connexas, & in vna earum inchoatus sit usus eius, & non in alijs, respectu illius prioris tantum firmatur iurisdictione, ita vt, mortuo concedente, in illa possit censuras ferre delegatus, & non in alijs, vt latius tractant Iurisperiti, præsertim Felinus in cap. *Pastoralis*. §. *Quorum*, de Rescript.

Excipiuntur autem ex singulari favore fidei, Inquisitores, vt patet ex c. *Ne aliquid*, de Hæretic. in 6. Quamvis eorum iurisdictione delegata vocetur in ea. Per hoc, eodem tit. ac sæpe alias. Illa autem singularis exceptio confirmat regulam in contrarium in cæteris causis. Tandem quis habeat potestatem concedendi hanc delegatam iurisdictionem, iam in superioribus tactum est: is enim, qui vt iudex ordinarius illam habet, per se loquendo, illam delegare potest: nam hoc ipsum munus delegandi est quidam usus & actus iurisdictionis ordinariæ, vt tradunt Iuristæ in l. *Mores*, Digest. de iurisdic. omn. iudic. & Abbas in cap. *Cum Bertoldus*, numer. 5. de Sentent. & re iudicata. Qui verò iudex ordinarius non est, talem iurisdictionem concedere non potest, nisi ex singulari aliqua ratione talis potestas ei concedatur, vt de Delegato Papæ idem auctores notant ex cap. *Pastoralis*, de Offic. Deleg.

Ultimo requirebamus voluntatem vtriusque, scilicet dantis, & recipientis hanc iurisdictionem: quod etiam est per se satis clarum, & ab omnibus assertum, quia hic est veluti quidam contractus humanus, qui sine mutuo consensu non perficitur: & ideo aiunt Iuristæ, mandatum in initio esse voluntarium postea verò quàm acceptatum est, esse necessarium: non quia reuocari aut dimitti non possit, sed quia sine iusta causa, aut sine consensu alterius id fieri non poterit: sed de hoc alias.

SECTIO IV.

Quæ conditiones necessarie sint, vt, qui potestatem habet ferendi censuram, valide illam ferat.

Sicut Philosophi naturales dicunt, vt causa efficiens suum producat effectum, præter virtutem agendi, requirere conditiones aliquas, sine quibus non efficitur: ita intelligendum est, proportionem seruata, in hac causa efficiente morali: & ideo postquam dictum est de potestate efficiendi censuras, consequens est, vt explicemus conditiones, quas huiusmodi causa ad illas efficiendas requirit. Quæ con-

Fr. Suarez. tom. 5.

ditiones duplices distingui possunt, quædam necessariae ad valorem actus, seu vt reuera censura inferatur, ac teneat: alia requisita solum, vt actio iusta ac recte fiat. Has posteriores, explicabimus sect. seq. nunc de prioribus dicendum est.

Prima igitur conditio necessaria est vt potestas hæc non sit ad agendum impedita ab eo, qui eius usum efficaciter impedire potest: nam hæc conditio in omni causa agente necessaria est. Hic autem multiplex impedimentum morale interuenire potest. Vnum est si ipsemet, qui censuram laturus est, affectus sit censura excommunicationis maioris, aut suspensionis: nam hæc censure impediunt usum omnis spiritualis iurisdictionis, vt latius infra dicemus agentes in particulari de effectu harum censurarum. Oportet autem huiusmodi impedimentum notorium esse, aut publicè denunciatum: nam, si censura sit occulta Ecclesiæ, etiam si sit nota ei, qui illa affectus est, peccabit quidem ipse, vtendo in eo statu sua iurisdictione, vt infra dicemus, non tamen erit inualidus actus. Quia, propter bonum Ecclesiæ regimen, ipsamet Ecclesia non vult tunc omnino impedire talem usum, actum irritando; quæ omnia latius sunt inferius tractanda.

Quin potius addendum hic est, etiam si contingeret aliquem in re ipsa falso titulo profiteri huiusmodi iurisdictionem, si hoc impedimentum sit occultum, & in foro, seu publica existimatione Ecclesiæ auctoritate superioris introductus sit in illum munus, & existimetur reuera habere talem iurisdictionem, illud impedimentum non inualidare actum, quia ipsamet Ecclesia supplet defectum illud; eò quod ita expedit ad bonum regimen. Quæ est communis doctrina in cap. *Nihil*, de Electione: & in l. *Barbarius*, ff. de officio Prætor. ex quibus iuribus colligitur, & ex cap. *Ad probandum*, de Sent. & re iudicata in illo verbo, *publicè inmodat*: Eamque supra tetigimus agentes de iurisdictione in foro interiori, est enim communis ad omnia iudicia: & ideo satis fuerit illam artigisse. Hinc verò colligi videtur limitandam esse doctrinam datam in superiori sectione, nam in eo casu sit actio valida, sine vera potestate agendi, cum sola existimatione. Sed dicendum est, quauis tunc actio fiat sine illa potestate simpliciter, quam quis existimatur habere, non tamen sine aliqua potestate, quam pro tunc & ad illum actum Pontifex concedit, ne publica iudicia Ecclesiæ dubia maneant, & incerta: nam actionem esse sine aliqua potestate agendi fieri non potest.

Aliud impedimentum simile præcedenti erit, si quis habeat hanc iurisdictionem ita dependentem ab alio, vt, cessante in superiori, cesset in alio ei subordinato; si ipse superior publicè excommunicatus sit, vel suspensus, tunc enim sicut ipse per se non potest censuras ferre, ita neque per alium. Ac propterea si delegans excommunicatus sit, impeditur vsus iurisdictionis etiam in delegato: & si sit excommunicatus Episcopus, impeditur vsus iurisdictionis in eius Vicario, vt constat ex cap. primo de Officio Vicarij, in sexta, vbi Glossa, & Doctores id notant: idemque erit in alijs similibus impedimentis; Vt, si iudex Ecclesiasticus recusetur, nam per recusationem impeditur, ne excommunicare possit recusantem, donec recusatio legitime examinetur. Item per legitimam appellationem interpositam antequam censuram ferat ex cap. *Quoties*. 2. questione sexta, vbi Glossa, & in cap. *Cum contingat*, de Officio Delegati, vbi Abbas. Item si superior prohibeat actum inferioris potestatis, etiam irritando ipsum actum; quod interdum facere potest absque censura: & alijs similibus, de quibus videri potest Vgolinus dicto capitulo secundo, §. vigesimo secundo & vigesimo tertio, posset autem aliquis non improbabiler dicere, in his casibus non solum impediri, sed etiam auferri

B 3